



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

VI. Coelestis Beatitudinis Radius Smaragdinevs. Ven. Arn. Corde
Mundissimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

plius nè vinci possit, dicéque : habebis, serve bone, thesaurum in cœlo ! In hac orbis universi rapina, quis locus asservandis opibus & thesauris cœlo securior ? ibi nobis sint omnia. Hic in terris pauca habeamus, aut nulla : cùm mors viatores nos aggre-
diedetur, quid eripiet ? nimirum

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Sed neque Misericordibus in hac vita deerunt præsidia fortuna-
rum. *Non vidi justum* (multò minùs misericordem) *derelictum* ;
propter Christum pauper, fame non perijt, & desideratur exem-
plum. De VEN. *Arneli* misericordia, & liberalissimis eleemo-
synis plurima in superioribus attuli, vide & imitare. Ager quò
plus reddit, eò melior ; fons quò plus aquæ donare potest, pre-
tiosior ; & homo præstantior, qui misericordiæ feracior.

VI. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

SMARAGDINEVS.

VEN. ARN. CORDE MUNDISSIMUS.

Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt. Matth. 5.

Smaragdus gemma est virore tam præcellens, ut quidquid in
Sorbe viride est, si juxta statnatur, viride esse desinat, ut obser-
vat ex Plinio Ribera noster, qui gemmam hanc, ob puritatem ;
S. Ioanni Evangelista comparavit. Si tangatur ab impuro, frangi
affirmat Pierius ; at Petrasanctius noster non indecorum putavit,
majus quiddam & secretius de Virginitate scribere, quod apud
eum inuenies exemplo probatum. Ex Smaragdo pretiosissima
specula supina fieri tradit Plinius, & Neronem gladiatorum pu-
gnas in Smaragdo speculo spectasse ; addit verò : *soli Smaragdi*
oculos implent, nec satiant. Hanc etiam gemmam, & naturæ do-
tem, Bohemæ telluri à Deo tributam affirmat Anselmus. Sit
igitur Corculi figurâ Smaragdus, in cujus medio speculi politura,
in quo ipso speculo reluceat è cœlo formosissima Solis imago,
adscribe imagini : *Mundi corde vident.* Quia enim Smaragdus
mundissima & purissima gemma est, si insuper specularis fiat,
optimè & innoxie in ea Sol videtur. Ejusmodi oculos habebat

Plin. lib. 37^o
Cap. 2.
Ribera in A-
pocalypf.
Pier. lib. 47^o
hieroglyph.
Petrasanctius
l. 3. de symbon-
lis, C. 4.
Plin. l. cit.
Smaragdus |
Castimonie |
symbolum.
Anselm. Boët.
l. 2. de gemmis
C. 56. C. 60.
C. 61.

Kkk

VEN.

VEN. Præful *Arnestus*, ut pridem probavi, & jam in divinitatis conspectum admissus, quid aliud agat, quam quod DEVS est intueri? Ut *Aquila pulli* ad Solem, Matris ungue suspensi, contemplatur: Speculi natura est repræsentare; & beatæ animæ, DEVM intelligere & amare.

RADIUS PURITATIS ET MUNDITIÆ CORDIS.

Speculum
Conscientia
nostra est,

Apud Malde-
natum in C. 10
Matth.

CORpora quæ lævia & polita sunt, rerum Creatarum effigies exhibent, at animus purus & innocens Creatoris imaginem optimè reddit. Non putandum est animum nostrum oculis carere: & quamvis careret, corde tamen *DEVS videtur*, ut ex hac beatitudine Evangelica argumentatur *Augustinus*. Purus & divinus animus sit oportet, qui ad DEVM contemplandum cupit ascendere, nam DEVS non nisi à simili videtur. *DEVS totus est animus, totus oculus, totus animi, totus sui*; nihil in eo nisi radiosum, nihil illustre reperies. Et quia videtur cum lumine, ad recipiendas divinas imagines necessaria est puritas cordis; & intellectus & voluntas gratiâ poliuntur, ut lumen recipiant. Sinè navo, sinè macula speculum facimus; cur in præparanda ad Visionem DEI anima sumus segniores? innubis semper in Conscientia, & virgineus sit dies. Animus est ut pupilla, quæ nunquam tangitur, nisi lædatur. Speculum ideo videt, quia purum, læve, & mundum est. Non dubito, ut vulneribus corpora, sic animum criminibus sauciari. His imago divinitatis aut corrumpitur, aut aboletur; inurit has maculas scelus, pœnitentia corrigit, & emundat. Unum inter hæc peccantibus solatium, quòd etiam casuræ & anguli gemmarum sæpe claritatem excitent, neq; sinant, ut *Plinius* loquitur, *colores surdescere*. Pretiosiores gemmæ à sectionibus fiunt, & corda affricta pulvere, dolore contrita & lecta, in oculis divinitatis sunt gratiora. Quoties pœnitentiâ politus homo sese convertit ad DEVM, DEVS faciem suam convertit ad hominem; nec DEVS potest amari toto & mundo corde, quin redamet: *convertimini, & ego convertar*. Sunt igitur verè *Beati mundo corde, quoniam DEVM ipsi videbunt*.

Zachar. 1.